

tio ad summum malitiæ culmen adolevisset: tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, & fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate in nos coepit animadvertere; orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum vero sensu omni destituti, de placando Dei Numine ne cogitaremus quidem; quin potius impiorum quorundam res humanas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjicemus; Cum Pastores nostri spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud, quam jurgia, minas, emulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes: Principatum, quasi tyrannidem quandam, contentissime sibi vindicantes, tunc demum, juxta dictum Hieremias, obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de coelo gloriam Israel.

§. XVI. Quæcum ita sint, magno in errore Pontificii versantur, quod perpetuitatem Ecclesiæ de splendore etiam, & statu feliciore, partim interno, partim externo accipiunt, eamque vel errare, vel omnino obscurari posse infitantur ac negant. Nam quod ad florem, & splendorem externum attinet, docent illi, esse de ratione, naturaque Ecclesiæ veræ, ut omnium oculos non modo incurrat, instar civitatis super montem exstructæ, sed etiam perstringat. Imo non raro hac una de causa nostrum cœtum veram esse Dei Ecclesiam negant, quia is paucitate sua, finiumque angustiis confritus, vix unius Germaniæ angulo, ita enim ipsi loquuntur, contineatur. Conf. omnino Bellarminus de Eccl. c. 12. 13. Turrianus c. Sadeelem tract. 2. Lib. 3. c. 4. Stapletonus Relect. princ. doctr. controv. 1. qu. 3. art. 1. Sed enim meminisse illi debebant, quod nullibi statum perpetuo beatum, aut, nescio quem, splendorem Ecclesiæ suæ promiserit Servator. Quin potius eidem continentis miserias, vexationes, & calamitates præ-

C

dixit.